

Vallisumbrosae deberi praecedentiam Abbati s. Bartholomaei Canonicorum Lateranens., dummodo iste in habitu Clericali vesteque linea sine pallio nigro et sine Mozzetta incedat. n. 1402 die 19. Julii 1642.

17) Praeced. super alios.

Ad dubium: an Abbatibus Ord. S. Benedicti Congreg. Militensis, Status Ragusini, Pontificalibus indutis, tamquam invitalis pro assistentia in solem. primis vesperis, Processione et Missa Festivitatis s. Blasii veniet denuo assignandum stallum in Presbyterio, quo usos fuisse praetendunt in antiqua Cathedrali? S. C. resp.: Archiepiscopus assignet Abbatibus locum decentem in Presbyterio post Episcopos n. 4005 ad 2, die 24. Nov. 1731.

Cum ex parte Patrum Abbatum S. Benedicti Status Ragusini expositum fuerit, quod, ipsi occasione Processionum, et absolutionum ad funeralia Reverendissimorum Archiepiscoporum, et Dominorum Rectorum Reipublicae Ragusinae, ad quas iidem invitati sunt simul cum Episcopis Suffraganeis, nulla persona in Dignitate Ecclesiastica constituta interposita, Pontificalibus ornamentis induti semper accesserunt: cumque modo ad effectum, ne a simili possessione a Canonicis Cathedralis Ragusinae iidem in posterum perturbari valeant, pro declaratione mentionis hujusmodi assertae consuetudinis S. R. C. humillime supplicatum fuerit.

S. eadem R. C., visis attestationibus Episcoporum Staugen., et Mercanen., et Tribunen., et lecto voto a Reverendissimo Archiepiscopo Amaseno Apostolicarum caeremoniarum Praefecto exarato, rescribendum censuit: „Praecedentiam supra Canonicos deberi Abbatibus praedictis, et solitum servari mandavit.“ Et ita decrevit. n. 3972. Die 12. Julii 1727.

18) Processio.

Posse Abbatem facere processionem cum suis Monachis et absque aliis Religiosis, dummodo non exeat limites Parochiae. n. 246 ad 1, die 17. Julii 1604.

In processionibus *per civitatem* Abbas coram se deferri facere non potest mitram et baculum, quia extra suam Ecclesiam et conventum non potest uti mitra et baculo. n. 246 ad 3, die 17. Julii 1604.

In processionibus SS. Corp. Christi Abbas curatus, pluviali indutus, incedere debet cum alio presbytero antiquiori similiter Pluviali induto. n. 3472 die 31. Maji 1698.

Vd. *Mitra Abbatibus; Processio Regular.*

ABBATISSA.

1) Baculus.

Non licet Abbatissae in choro adhibere baculum Episcopalem, eundemque. cum exponantur Abbatissarum cadavera, earum manibus aptari vel prope apponi. n. 1780 die 29. Jan. 1656.

S. C. Episcopo injungit ut cum caeteris etiam (in civitate Manfredoniae) Monialibus Decretum (de baculo) S. C. exequatur. n. 1809 die 10. Junii 1656.

2) Benedicens et aspergens Moniales.

Ad dubium: An in conclusione Capituli culparum possit ex consuetudine Abbatissa benedicere Sorores dicens: *Sit nomen etc.*, et *Dominus nos benedicat*, et *ab omni malo defendat etc.*, ut in fine Primae; et an possit de sero illas aqua benedicere, seu aspergere, repetens verba: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris etc.*, descendat super Vos, et maneat semper?

Emi et Rmi P. s. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Affirmative, seu servetur consuetudo.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 9, die 7. Sept. 1850.

3) Jurisdictio.

Praeeminentiam et jurisdictionem Coadjutricis cessare in praesentia Abbatissae et ideo, praesente Abbatissa, Priorissam esse coadjutrici praefendam. n. 253 die 16. Oct. 1604.

ABLUTIO.

1) Digitorum cum aqua tantum.

Vd. *Calix.* (Purificatio.)

Sacerdos Joannes Baptista Fulise ex Dioec. Tornac. summopere exoptans, ut uniformis sit praxis omnium Eccl. in exequendis singulis Caeremoniis quae in Sacrosancto Missae Sacrificio locum obtinent, S. R. C. enixe rogavit, ut sententiam suam proferre dignaretur super sequenti Dubio ab ipso proposito iis in terminis: An pro abluendis vino et aqua pollicibus, et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat Sacerdos e medio Altaris versus Cornu Epistolae recedere? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita a Secretario relatione, rescribendum censuit: „Serventur Rubricae pro diversitate Missae.“ n. 5138. Die 22. Julii 1848.

2) Manuum Episcopi.

(Laici.)

Magistratum ad ablutionem manuum Episcopi solemniter celebrantis cogi non posse, sed si invitatus id faciat, laudandum. n. 1537 die 26. Aug. 1645; n. 4015 ad 3, die 9. Maji 1733.

Syndacos civitatis Venafri renuentes ministrare Episcopo aquam, ut antea consueverunt in functionibus pontificalibus, hortandos esse, non compellendos. n. 2217 die 28. Apr. 1663.

Magistratus prout in Caeremoniali tam absente quam praesente Gubernatore Episcopo in lotionem manuum inservire debeat. n. 3468 die 19. Apr. 1698.

Magistratus Comaclen. ministrans aquam pro lotionem manuum Episcopi solemniter celebrantis in eundo et redeundo ultra Genuflexionem altari debitam tenetur alteram facere eidem Episcopo, et accedere ad abacum pro accipiendis pelvibus... pro eadem lotionem manuum; et debet uti velo serico circum spatulas extenso in praestatione ejusdem lotionis. n. 3717 ad 1—3, die 4. Apr. 1705; n. 4305 ad 2, die (21. Julii) 12. Septembris 1761.

Magistratus Bricinoriensis accedens ad lotionem manuum Episcopi pontif. parati debet in actu genuflectere et manere genuflexus. n. 4305 ad 1, die (21. Julii) 12. Sept. 1761.

Vd. *Genuflexio coram Episcopo. Lavabo.*

ABROGATIO.

1) Festorum.

Vd. *Reductio festorum.*

2) Octavarum in Congreg. ss. Redemptoris.

Vd. *Calendarium Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 4 et 5.)

ABSOLUTIO.

1) Infirmi.

Episcopi Philippinarum possunt adstringere parochos regulares ad observandum in praxi Rituale roman., quod dicit: „quodsi confitendi desiderium suum per se sive per alios ostenderit infirmus, absolvendus. Et si non est introducta observatio Ritualis romani, introducat. n. 629 die 2. Maji 1626.“

2) Mortuorum.

a) In Coemeterio.

Cf. *Absolutio*, (ritus.)

Ad dubium: Die decimaquarta Novembris, vel si fuerit Dominica, insequenti Feria secunda, quotannis celebratur Anniversarium cum Missa de *Requie* post Nonam pro omnibus Canonicis, Cappellanis, et Clericis defunctis ipsius Ecclesiae Primatialis Pisanae. Eapropter pridie immediate post Vesperas, omissio Responsorio: *Fidelium animae*, proceditur ad Coemeterium, ibique cantatur cum Invitatorio Nocturnum Defunctorum, et post tertiam Lectionem dicitur Responsorium: *Libera me Domine*, et fit Absolutio ut in Rituali. Simili modo immediate post Vesperas itur ad Sepulchrum Henrici VII. Imperatoris die 24. Augusti, et die 21. Septembris ad Sepulchrum Beatricis Matris Comitissae Mathildis ad faciendam Absolutionem ut supra, quae fieri potius deberet sequenti mane post Missam de *Requie*. Haec consuetudo, licet Rubricis Missalis et Ritualis contraria, retinetur ratione suae longaevitatis. S. C. resp.:

„Serventur Rubricae.“ n. 4672 ad 15, die 12. Nov. 1831.

b) Crux deferenda inter duos Acolythos.

In Absolutionibus ad feretrum Subdiaconus debet praere deferens Crucem medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa. n. 15 ad 4 et 5, die 16. Mart. 1591. Vd. *Subdiaconus; Cruciferarius in process. dom. Palm. etc.* (decr. n. 4620.)

c) In die Commem. Omn. Fidel. defunct.

1) Oratio.

In *absolutionibus* in die Commem. Omnium fidel. def. non est dicenda

tota conclusio in oratione. n. 3477 ad 4 die 5. Julii 1698. *Instruct. Clem.* §. XXIV. n. 24.

2) Ritus.

In absolutione ad Tumulum post Missam de *Requie* praescribit Rubrica cantandum Responsorium *Libera me Domine, de morte etc.*: et haec est praxis generalis; nihilominus aliqui volunt adhuc in die Commem. omn. Fidel. def. licitum esse cantare aliud quodlibet responsorium ex novem, quae sunt in Officio defunctorum. Quaeritur, an hoc revera liceat? Et S. eadem C.... respondendum censuit: „Negative, sed servandas Rubricas.“ Atque ita rescripsit, declaravit, indulget, servarique mandavit. n. 5050 ad 14, die 23. Maji 1816.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

(Provinciae S. Pauli Vallisoletanae.)

Quaestio quaedam inter Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Provinciae Vallisoletanae nuperrime orta quum fuerit quoad recitationem Versiculi: *Animae eorum*, dicendi post absolutionem ad Tumulum, et sequentis Antiphonae cum Psalmo: *De profundis*, redeundo ad Sacristiam in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, asserentibus nonnullis praesidio fultis tum Decreti editi 2. Decembris 1684 a Sacrorum Rituum Congregatione, tum peculiaris Rubricae Breviarii Ordinis Franciscanorum, hanc recitationem omittendam, haerentibus aliis in opinione esse omnia dicenda ex auctoritate cujusdam Manualis Processionalis memoratae Provinciae typis editi Anno 1774, ideo ad conciliandos animos, concordiamque parandam, ac uniformitatem magis obtinendam in Ecclesiasticis functionibus, quaestio haec ad eandem Sacram Congregationem delata fuit. Quae in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale coa-

dunata, referente Secretario, omnibus consideratis, accurateque perpendens, rescribendum censuit: „Antiphona et Psalmus: *De profundis*, nec non Versiculus: *Animae eorum*, in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum post absolutionem ad Tumulum sunt omittenda juxta Decretum in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium diei 2. Decembris 1684 ad Dubium 11. Et ita rescripsit, ac servari mandavit, die 28. Julii 1832. n. 4692.

Vd. *Absol.* (h. Ritus).

d) In Dominica post missam solemn.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Quum hodiernus Superior Coenobii Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Civitatis Maceraten. Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit, ibi a duobus et ultra saeculis vigere consuetudinem, Dominica infra Octavam omnium Sanctorum, post Missam solemnem decantandi circa tumulum in medio Ecclesiae erectum Responsorium: *Libera me Domine*, ac insimul humillime efflagitari, ut hanc ipsam consuetudinem servare decerneret, tum ob suam antiquitatem, tum etiam ne omissio offendant Fidelium pietatem, quamvis ipsa aperte contradicat Rubricis, et Ecclesiasticis Sanctionibus; Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitibus, referente Secretario, respondendum censuerunt: „Negative: Die 16. Martii 1833.“ n. 4702.

e) Non licita.

In diebus, in quibus fit de festo dupl., cum non possit dici missa de requiem, nisi praesente cadavere, cantata missa de Sancto, non potest fieri in fine hujus missae absolutio circa

lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canente Choro: *Libera me Dom.* n. 3791 die 4. Aug. 1708.

In quibusdam Anniversariis, et quum non sint Anniversaria, nec celebrari potest Missa de *Requie* (eo quod non adsit obligatio applicandi Missam Conventualem in diebus ferialibus) canitur Nocturnum, deinde Absolutio circa Tumulum peragitur, et postea Missam Conventualem canunt de Festo, quod occurrit, applicando illam pro Defunctis cum Tumulo ante Aram, et cereis accensis.

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„Posse, dummodo removeatur tumulus tempore Missae, ac finita circa illum absolutione.“

Atque ita rescripsit die 10. Januarii 1852 n. 5166 ad 1. Vd. *inf. decr.* n. 5188.

f) Quando peragenda?

Absolutionem faciendam esse finita missa juxta rubricas missales c. 13. n. 4; n. 4815 ad XI. 5, die 22. Sept. 1837.

Ad dubium: Utrum absolutio pro Defunctis finita Missa fieri possit tantummodo quando dicta fuit Missa de *Requie*, vel utrum fieri etiam possit in paramentis tamen nigris quando dicitur Missa de Festo Duplici, cujus fructus Defunctis applicatur? S. C. resp.:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“ N. 5188. Romae 9. Junii 1853.

g) Quis peragit?

Absolutionem Mortuorum in Cathedrali Ascul. fieri solitam qualibet fer. 2. non impedita, spectare ad Archidiaconum, non autem ad Canonicum antiquiorem; Archidiacono impedito ad digniorem. n. 2289, ad 5 die 30. Aug. 1664.

Ad dubium: Utrum post Missam

in die obitus alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere possit ad absolutionem peragendam? Et quatenus affirmative:

An possit indutus superpelliceo accipere Stolum cum Pluviali nigri coloris?

Rescriptum prodiit, ad primum:

„Negative, et ex Decretis hoc jure gaudere tantum Episcopos;“ ad secundum:

Provisum in praecedenti.

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. N. 5208. ad 13 et 14. Die 12. Aug. 1854.

Ad dubium: Utrum (quartus) Sacerdos post Missam ab alio Sacerdote celebratam induere possit Stolum, et Pluviale ad faciendam absolutionem ad feretrum, si corpus deducendum sit ad tumulum, ita, ut quot sunt veluti partes diversae ab uno, et eodem funere peragendo, tot praesesse valeant uni, et eidem funeri Sacerdotes, quorum v. g. alius introduxit corpus in Ecclesiam, alius cantat Nocturnum, alius Missam celebrat, aliusque facit absolutionem ad feretrum? Ratio dubitandi est, quia fert Rituale: „Finita Missa, Sacerdos deposita casula, seu Planeta, et Manipulo, accipit Pluviale nigri coloris etc. et Episcoporum Caeremoniale l. 4. c. 37. n. 2: *Celebrans finita Missa deposita Planeta, et Manipulo, accipit Pluviale nigrum.*“

S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Congruum esse, ut absolutio ad feretrum fiat ab ipso Sacerdote, qui Missam celebravit, non ab alio diverso.“

Atque ita rescripsit. N. 5221. ad 4. Die 21. Julii 1855.

h) Ritus.

Vd. *Missae de Requ. de die obit. pro pauperibus;* (decr. n. 4891); *Absolutio Sacerdotis;* *Absol. in Coemeterio.*

Ad dubium: an post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus,

vel supra tumulum in die anniversario aut super lecticam seu castrum doloris in die Commemorati. Omn. fidel. def. dicto versiculo: „*Requiescant in pace*“ subjungi debet: *Anima ejus et animae omn. fid. def. . . in pace,* cum de hoc nullam mentionem fecerint Gavantus et alii Caeremoniales, quod tantum legitur in *Rit. rom.* de Exequiis in fine? S. C. resp.: Servetur Rituale: at in Commem. Omn. fidel. def. nihil superaddendum. n. 3073 ad 11 die 2. Decb. 1684.

Ad dubium: an in depos. def. in verbis: *Non intres* etc., quando defunctus sit mulier aut sint plures defuncti, possint verba: *Servo tuo* immutari? S. C. resp.: Servandum esse Rituale. n. 3441 die 31. Aug. 1697.

In depositione defunctorum in illis verbis: *Non intres . . . cum servo tuo* etc., quando est mulier aut plures sunt defuncti, non possunt permutari: *servo tuo* in: *Serva tua* vel *servis tuis.* n. 4105 die 21. Jan. 1741.

Ad dubium: an in exequiis, quae fiunt sine tumulo vel tantum cum tapete in terram strato, Sacerdos debeat eas ab altari facere cum aspersione et incensatione vel potius procedere ad tapete illudque circumire? S. C. resp.: Servetur Caerem. Ep. l. 2. c. 37. n. 4815 ad XI. 4. die 22. Sept. 1837.

AVENIONEN.

Officiales Dioecesis Avenionen simul et Canonicus Magister Caeremoniarum Metrop. Ecclesiae ad opinionum differentiam de medio tollendam et uniformitatem assequendam humillimis precibus a S. R. C. sequentis Dubii solutionem postularunt, nimirum: In Responsorio: *Libera me Domine,* quod cantatur in absolutione Defunctorum post dictum primum Versum: *Tremens factus sum,* quum resumitur pars Responsorii: *Quando Coeli movendi sunt,* sistendumne est post haec verba: et

terra, ut in Responsorio primo Dominicae I. Adv., ut juxta usum receptum in his regionibus, vel more omnium Responsoriorum prosequendumne est usque ad finem Responsorium ad haec verba: *per ignem,* antequam cantetur secundus versus: *Dies illa?* S. eadem C. subscripta die ad Quirinales Aedes in Ordinariis Comitibus adunata, referente Secretario, respondendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“ Atque ita rescripsit, servarique mandavit. n. 4907. Die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: An prosequi possit consuetudo canendi Antiphonam: *Si iniquitates,* cum Psalmo: *De profundis,* quum celebrata Missa de *Requie* ad medium progreditur processionaliter pro Exequiis absolvendis? S. C. resp.:

„Negative; Antiphona, et Psalmus *De profundis,* dici debent post absolutionem ad Tumulum in reditu ad Sacrarium.“ n. 4694 ad 3 die 28. Julii 1832.

3) A Peccatis.

(Formula)

VIGLEVANEN.

Sacerdos Marcellinus Nebbia Episcopalis Curiae Viglevanen. Cancellarius quum rogatus fuerit a quodam illius Dioec., ut super sequentibus Dubiis S. R. C. sententiam exquireret, Dubia ipsa proposuit pro opportuna declaratione, nimirum:

1. An in forma absolutionis ante verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis:* dicendum sit, vel omittendum verbum: *Deinde?* 2. Quum in Rituali Rom. in eadem absolutionis forma legatur: „In Confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus omitti potest: *Misereatur:* et satis erit dicere: *Dominus Noster Jesus Christus: . . . usque ad illud: Passio Domini:* quae-ritur an sit intelligendum exclusive vel inclusive? Et S. eadem C. ad Qui-

rinale subscripta die coadunata in Ordinario Coetu audita relatione a Secretario facta, ac memor usque ab anno 1837 sub die 11. Mart. in una Veronen. ad Dubium propositum hisce sub terminis: Utrum in forma absolutionis verbum: *Deinde* in nonnullis editionibus rubro caractere impressum, omittendum sit?“ post auditam etiam S. Universalis Inquisitionis Cong. sancitum fuisse: *Nihil innovandum,* rescribendum censuit:

Ad 1. „Detur Decretum in Veronen. diei 11. Martii 1837.“

Ad 2. „Intelligendum exclusive.“

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5089.

Die 28. Febr. 1847.

Vd. *inf. decr. n. 4809.*

Ad dubium: Utrum verbum *Deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus Ritualis rubro caractere impressum, omittendum sit?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit.

„Ad Sacram Universalem Inquisitionem.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. N. 4782 ad 5. Die 27. Aug. 1836.

VERONEN.

In Ordinariis S. R. C. Comitibus ad Vaticanum subsignata die habitis a Secretario iterum relato Dubio a Revds. Episcopo Veronen. hisce verbis proposito: Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro caractere impressum omittendum sit? Emmi et Rmmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, audita prius S. Universalis Inquisitionis Congregatione, rescribendum censuerunt: *Nihil esse innovandum.* Nr. 4809. Die 11. Mart. 1837.

4) Sacerdotis defuncti.

a. Crux.

In exequiis † Sacerdotis praesente

corpore locetur crux ad caput defuncti inter feretrum et altare, n. 4183 ad 2. die 3. Sept. 1746.

Ad dubium: Utrum corpore Sacerdotis insepulto, ob aliquam rationabilem causam non praesente, Subdiaconus in exequiis se sistere debeat inter feretrum, et Altare, vel saltem possit?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative.“

Atque ita rescripsit. Nr. 5219 ad 3. Die 21. Julii 1855.

Vd. *Faldistorium Episcopi in absolut.*; *Absolutio Mortuor.*

b) Ritus.

In funeribus Sacerdotum, finita Missa, cantantur ad Tumulum tria Responsoria, et ter, id est in singulis Responsoriis Cadaver aspergitur Aqua benedicta, atque thurificatur a Celebrante circumeundo Tumulum et Cadaver. Quaeritur: an talis consuetudo continuari possit, vel potius abolenda cantando tantum unum Responsorium? Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Servandam in casu dispositionem Ritualis Rom.“

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. N. 5050 ad 12. Die 23. Maji 1846.

ABSOLUTIONES QUINQUE.

a) Ecclesia.

Ad dubium: an Canonici Colleg. Placentinae peragere valeant in eorum Ecclesia, occasione funerum SS. Pontificum, priorum Episcoporum aliorumque Principum exequias sol. cum quinque absol. juxta formam Pontif. romani, seu potius hoc privative spectet ad Cathedralis? S. C. resp. Negative quoad primam partem et amplius, n. 3980 ad 4 die 3. Julii 1728.

Vd. *Exequiae* (in qua Ecclesia.)

b) Officiator.

Quatuor Dignitates seu Canonici assistentes Episcopo ad absolutionem ad tumulum debent necessario esse Sacerdotes. n. 3809 ad 6 die 8. Junii 1709.

Ad dubium: an in hujusmodi exequiis (Pontificum, Regum, etc.) absolutiones circa castrum doloris post Dignitates Metropolitanae, fieri debeant a Dignitatibus trium Collegiarum (Avenionen.) seu potius a Canonicis ejusdem Metropol. S. C. resp. Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam, n. 4022 ad 3 die 17. Julii 1734.

Vd. *Incensum* (bened. ad etc.)

ABSOLVE.

(Cantanda in Missa de Requie.)

Vd. *Missa de Requ. sol.* (Ritus.)

ABUSUS.

Vd. *Caeremoniae.*

ACCESSUS.

1) Ad Altare.

Vd. *Altare* (accessus.)

2) Episcopi ad Ecclesiam.

Vd. *Episcopus* (accessus)

ACOLYTHI.

Vd. *Ceroferarii*; *Thuriferarius* (quis; decr. n. 4595); *Acolythi ad Evangel. canendum*; Vd. *Pileolum Ministr.* (decr. n. 2625.)

A. CUNCTIS.

1) (Commem. Patroni vel Titul.)

Vd. *Patronus*; *Commemor. Patroni*; *Suffragia* (decr. n. 4909 ad 3. 2. u. 3.)

Ad dubium: Quisnam Sanctus nominandus sit in Oratione *A cunctis* in litt. N., Patronusne principalis loci, vel Dioecesis, aut potius Titularis Ecclesiae, Oratorii etc.? S. C. resp. Ti-

tularem tantum nominandum esse. n. 4815 ad X. 1. die 22. Sept. 1837.

Additio Patroni in sola oratione: *A cunctis* et Postcomm. *Mundet* etc. addenda est, non autem in *Confiteor.* n. 2362 ad 5 die 13. Febr. 1666.

In oratione *A cunctis* nomen s. Michaelis seu s. Joa. Bapt., si ii sunt Patroni vel Titulares, ponitur ante ss. apostolos. n. 2363 ad 8 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Sacerdos celebrans in Oratorio publico vel privato, quod non habet s. Patronum vel Titularem, an debeat in Oratione: *A cunctis* ad litteram N. nominare s. Patronum vel Titularem Ecclesiae paroch., intra cujus limites sita sunt Oratoria, vel s. Patronum Ecclesiae, cui ad scriptum est vel potius omnem ulteriorem nominationem omittere? S. C. resp.: Patronum civitatis vel Loci nominandum esse. n. 4897 ad 2 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: An Patronus nominandus in Oratione *A cunctis* intelligi debeat Patronus principalis loci et quid, si plures sint principales Patroni? Qui nominandus sit ad lit. N., si Patronus vel Titularis jam nominatus sit in illa Oratione, aut de eo celebrata sit missa? S. C. resp.: Nominandus Titularis Ecclesiae. Et si jam fuerit nominatus, omittenda nova nominatio. n. 4669 ad 31 die 12. Novb. 1831.

Ad Dubium: In Ecclesiis, in quibus S. Titularis in Oratione *A Cunctis* jam nominatus est vel nominari non debet, nempe si sit SSma. Trinitas, Spiritus S. etc., potestne ad litteram N. nominari S. Pater Franciscus, de quo fit Commemoratio in suffragiis Sanctorum, ut concedunt peculiare Rubricae Franciscanis?

„Negative, et detur Decretum in una Marsorum die 12. Nov. 1831. ad 31. Dubium.“

Atque ita declarandum et rescri-

bendum censuit N. 5183 ad 19. Die 16. Aprilis 1853. Vd. inf. decr. n. 4909.

2) Quando dicendum?

Cf. *Oratio tertia*; *Commem. pro Def.*; *Concede* (decr. n. 4560.)

Licet transferatur Purificatio B. V. M. a die 2. Februarii, dici tamen debet in missa 2. oratio *A cunctis*, 3. *ad libitum*, quamquam non est dictum Officium Purificationis. n. 3710 ad 1 die 14. Febr. 1705.

Ad dubium: Si contingat fieri Officium semid. in vigil. festi Omn. SS., utrum non obstante commemoratione vigiliae diei debeat Oratio *A cunctis* in missa ejusdem semid., an sit omittenda et dicenda oratio *de Spir. s.*? S. C. resp. affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3827 ad 1. die 21. Junii 1710.

Translato festo semid. ad Vigil. aliqujus apostoli in missa festi orat. 3. erit *A cunctis*. n. 4055 ad 5 die 15. Sept. 1736.

Ad dubium: an s. Joseph in or. „*A cunctis*“ et in Suffragiis sit praeponendus apost. Petro et Paulo? S. C. resp.: In oratione *A cunctis* idem servetur ordo qui in Lytaniis maj. praescribitur. n. 4143 ad 4 die 11. Maii 1743.

In oratione *A cunctis* subjungi non potest nomen Patroni Capellae propriae, si habeat. S. C. n. 4909 ad 3. die 12. Sept. 1840.

ADMINISTRATIO SACRAMENTOR.

1) Habitus.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4696 ad 3.) Canonici (administ. Sacram.); *Caeremoniaris* (vestis.)

2) Jus.

Vd. *SS. Sacrament.*; *Canonici*; *Parochus*; *Stola*; *Episcopus aegrotus*; *Rocchetum* (quibus vetitum, decr. n. 4591); *Viaticum* (portand. infra missam.)

Ad dubium: an arbitrium Card. Ginnetti declarans, jus administrandi Sacramenta exteris advenientibus ad Castrum Lapedonae et domicilium contrahentibus, competere Ecclesiae Colleg., sit revocandum? S. C. resp. *Affirmative* (et competere Ecclesiae paroch.) n. 3450. ad 1 die 14. Decb. 1697.

3) Ministri.

Canonici Cathedr. uti non possunt Clericis et Caeremoniario, veste violacea indutis, nec eos cogere ad sibi sic indutos serviendum in administratione Sacramentorum atque in aliis quibuscunque functionibus Ecclesiasticis non capitularibus tam intra quam extra Cathedralen. n. 4536 dub. addit. 3. die 4. Junii 1817.

Nota Gard. ad hoc decret.:

In qualibet Ecclesiastica functione illi adhiberi debent ministri, qui ad eam rite, diligenterque explendam sunt necessarii, juxta regulas traditas tam a Rubricis, quam a S. R. C. Decretis. Certum porro est, quod Canonici in functionibus non Capitularibus, praesertim extra Cathedralen jus nullum est cogendi Magistrum caeremoniarum, et Clericos violacea veste indutos ad sibi inserviendum. Visum est supra, Canonicos uti singulos extra propriam Ecclesiam in Ecclesiasticis functionibus vix, ac ne vix quidem a simplicibus Presbyteris distingui. Quaestio igitur coarctari debet ad functiones non capitulares, quales sunt Missa privata, administratio non solemnium Sacramentorum in Cathedrali explenda. In his Canonicus eos adhibere potest ministros, quos exigit actio; Clerici vero, qui servitio Cathedrali sunt addicti, et inservire tenentur induti tali veste ejus coloris, quo illa in Ecclesia distinguuntur. Quod vero attinet ad caeremoniarum Magistrum, huic vestis violaceae usus competit dum-

taxat in functionibus Pontificalibus, non autem in Capitularibus. Siquidem rogata S. R. C.: „An Magister caeremoniarum electus a Canonicis pro functionibus canonicalibus ex permissione Capituli, uti valeat veste violacea, tam praesente, quam absente Episcopo? respondit in Aquilana die 22. Jan. 1735. Affirmative tantum in functionibus Episcopalibus, ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli.“ Videri etiam potest Bituntina 31. Aug. 1737. Quod si non licet Capituli Caeremoniario uti violacea veste in functionibus Capitularibus, multo minus ei licebit in aliis non Capitularibus; in iis videlicet, in quibus aliquis ex Canonicis vel Missam celebrat, vel Sacramenta administrat, vel alteri Ecclesiasticae functioni incumbit.

ADMINISTRATOR.

Vd. *Episcopus Administr.*

ADORATIO.

1) Crucis.

Vd. *Parasceve.*; *Cappa Canon.* (decr. n. 3544.)

2) SSmi. Sacramenti.

Vd. *Expositio SSmi.* (Adorantes.)

3) In Sump. ss. Sanguinis.

Vd. *Sumptio ss. Sanguinis.*

ADVENTUS.

1) Fit commemoratio alicujus octaviae in feriis Adventus. Vd. *Commemoratio.*

2) De vigiliis in Adventu, Vd. *Vigilia in Adventu.*

3) De commem. Dom. Adventus, Vd. *Commem. in vesp.*

ST. AEGIDIUS ABB.

(*Lectiones.*)

Ad dubium Benedictin. Einsidl: an

in festo s. Aegidii abbatis, quod est dupl. de Indulto, sequendum sit exemplum Ecclesiae Campidonens. et Viennens. ex lectione unica Breviarii faciundo tres, illam dividendo et sequens miraculum inserendo: „*Alias rediens in Ecclesia, quemdam sibi obvium miserrima specie, qui nuper a serpente percussus tumente cute fatebatur se mortiferum virus recepisse, fusa oratione curavit simulque hortatus est, ut deo gratias ageret, cuius clementia esset sanatus*: S. C. resp. Negative et pro gratia concessionis Lectionum quae leguntur in Basilica Vaticana. n. 4044 ad titul. XXV. dub. 9 die 5. Maii 1736.

S. AGNES.

1) Officium.

Ad dubium: An in Officio proprio S. Agnetis V. M., quod est in Breviario Rom. sub die 21. Jan., in prima Antiph. ad Vesp., et Laudes liceat addere claritatis gratia, et ut plenior sensus habeatur, *in suicustodiam*, ita ut sic integre legatur: Ingressa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini in sui custodiam praeparatum invenit? Et S. eadem C. ... respondendum censuit: „Nihil immutandum, vel innovandum.“

Atque ita rescribere, ac proposita Dubia declarare existimavit. N. 5064. ad 1. Die 27. Febr. 1847.

2) Translatio.

Utrum transf. fest. s. Agnetis? Cf. *S. Meinradus* (decr. n. 4043.)

AGNUS DEI.

In Communione fidel.

Vd. *Communio.* (Qua lingua etc.)

AGONIA.

D. N. J. C.

Vd. *Campanae.* (puls. pro feriis sext. etc.)

ALBA.

1) Materia.

Ad dubium: An alba confici possit ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant Musulo? S. C. resp.: Lectum. n. 2267 die 15. Mart. 1664.)

Vd. *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.)

2) Ornatus.

Ad dubium: An liceat ubique terrarum in fimbriis, et manicis Albarum, et aliorum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere, vel an sit privilegium peculiare Italiae, Hispaniae etc.?

Et sacra Congregatio, rescribendum censuit:

„Negative.“

Atque ita rescripsit Die 17. Augusti 1833. n. 4718.

3) Quando utitur.

Celebrantem non Episcopum facientem Officium in Matutinis, Laudibus et Vesperis non posse uti Alba. n. 1910 ad 3 die 13. Julii 1658. Non albam, sed tantum superpelliceum adhibendum est in processibus, quando induuntur planetae, dalmaticae et tunicellae juxta Caerem. (Lib. I. c. XV. n. 6; lib. II. c. XXIII. n. 5.) n. 2869 ad 9 die 26. Novb. 1678. Vd. *Laici*; *Processio* (Clerus inf. paratus, decr. n. 4595); *Expositio SSmi.* (Exponens); *Repositio SSmi.* (modus); *Stola* (*in Off. def.* decr. n. 5221); *Communio* (Distribuens; habitus; decr. n. 4777); *Stola in vesp.*

S. ALEXANDER MART.

Hodiernus Archipresbyter Oppidi, cui nomen vulgo *Montagnano* intra fines Dioecesis Boianens. huic S. Sedi Apostolicae exposuit Fideles Oppidi ipsius a vetustis temporibus ut praecipuum ad Deum Patronum venerari